De codicibus Hesiodeis nonnullis in anglia asservatis

Gottfried Kinkel

ARMINIO KOECHLYO

PRAECEPTORI CARISSIMO

D. D. D.

Auctor.

Subsidia critica quae in bibliothecis Britannicis asservantur adhuc neque satis cognita neque in usum philologorum examinata esse hodie inter omnes constat. Quod potissimum desiderabatur — ut codices omnes, ex quibus aliquid boni ad textum scriptorum classicorum emendandum exspectari posset conferrentur — ei rei neque nostrates neque Angli adhuc satis fecere. Nam thesauri qui adhuc in bibliothecarum Britannicarum latebris abditi sunt, exhauriri ne quidem coepti sunt, licet codices singuli [1]) philologis nostratibus innotuerint.

Quod ad chrestomathias grammaticas et scriptorum historicorum perditorum fragmenta attinet, fatendum est rem paullo melius gessisse criticos cum indigenas tum peregrinos: sed plura usque ad nostrum tempus manserunt intacta. Itaque praeter Anecdota varia ex bibliothecis Oxoniensibus et Londinensibus [2]) deprompta atque a Cramero V. Cl. (a. 1835—1837) edita nil ullius momenti ad aures philologorum pervenisse videtur usque ad a. 1857, qui annus Grani Liciniani fragmentorum evulgationem a Pertzio factam vidit. Sed haec omnia famem virorum doctorum magis accendisse quam ei satisfecisse dici possunt.

Inter bibliothecas quas perlustrare criticum decet in Anglia versantem, eminet celeberrima illa quae cum Museo Britannico coniuncta est. Codicum collectiones variis ex fontibus depromptae atque postea in Mus. Brit. delatae nunc magnum efficiunt corpus. Nominare sufficit bibliothecas Arundelianas, Harleianas, Burneianas. Quae omnes subsidia praebent uberrima ad scriptores cum Graecos tum Romanos emendandos. — Itaque mihi per menses aestivos a. MDCCCLXVI Londini ver-

---

1) e. g. Platonicus Bodleianus Oxoniensis — Homericus Harleianus Londinensis.

2) Ad Museum Britannicum pertinet epyllium illud ex codd. Add. 5118 et Harl. 5656 depromptum, quod Cramerus „Anecdotorum Oxoniensium“ volumini quarto (p. 308—339) adiecit.

santi reputantique editionem Hesiodeam ex Arm. Koechlyi, praeceptoris dilectissimi, recensione hoc ipso anno publici iuris factam iri, hoc ante omnia optimum esse visum est codices Hesiodeos nonnullos in Museo Britannico asservatos accuratius inspicere atque eorum lectiones diligenter enotare ac diiudicare.

In codicibus eligendis brevi perspexi me sine fructu laboraturum si omnes codices Hesiodeos qui in Mus. Brit. invenirentur, examinarem. Nam in bibliothecis Francogallis et Italis, sicut in Britannicis saepius inveniuntur codices serioris aetatis (praesertim saec. XV), qui Theogoniam et Opera continent; quorum lectiones, ut ex Lennepii apparatibus criticis uberrimis apparet, in universum bene cognitae sunt. Neque ullo tempore poëmatibus illis deerant editores. Aliter evadit res, si Scutum spectes. Codices plurimi enim qui nonnullis in locis ex editorum iudicio lectiones haud spernendas offerunt, diu neglecti iacuerunt, collatione accuratiore carentes. Quorum in numero sunt codices nonnulli Britannici. [1]) Itaque omne tempus quod mihi praesto erat in codicibus qui Scutum continent conferendis absumpsi. Quos libros facillime inveni. Fuerunt enim mihi bibliothecam Musei Brit. perlustranti summo auxilio hypo-bibliothecarii, qui omnia quae desiderarem lubentissime suppeditavere. Quos inter nominare sufficit Granvillium et Haasium, viros doctissimos clarissimos.

I.

Codices qui Hesiodi Scutum continent in Germania et Francia raro, in Anglia inveniuntur rarissime. Tria tantum exemplaria in bibliothecis Britannicis invenire potui. Quorum unus extra muros Musei Britannici asservatur. De quo postea.

Codex, qui inter Libros MSS. Britann. primum locum tenet, in bibliotheca quae dicitur Harleiana asservatur, numero 5724 (plut. LXIV G.) signatus. Fuit olim Comitis Oxoniensis [2]), deinde Collegii Agen. Soc. Jesu, postea in bibliothecam Musei

---

1) De cod. Cantabrigiensi Gaisfordius ipse (Poett. Minn. Grr. Vol. I p. XII Lips.): „codex recentissimus et mendossimus, licet optimarum lectionum vestigia subinde exhibeat.“ Quae verba exscripserunt Goettlingius (in edit. alt. p. LXXVI) et Rankius (in edit. p. 296).

2) Cf. Robinsonum in praefat. ad edit. suam.

Britannici una cum MSS. Harleianis reliquis translatus est. Recensetur inter codices Harll. in catologo bibliothecae qui inscribitur „A Catalogue of the Harleian Manuscripts in the British Museum“ Tom. III. p. 290. Est chartaceus, forma quadrata, folia continens CCXVIII, quorum Scutum occupat undecim, sc. inde a folio trigesimo tertio usque ad fol. quadragesimum tertium. Pertinet, ut videtur, ad saec. XIV [1]). Continet praeter Hesiodi Scutum 1. Euripidis Hecubam (cum praefatione) (fol. 1a—30a); 2. Demetrii Moschi *προτρεπτικὸν ὅπως δεῖ προσεμμένειν ταῖς τῶν λόγων μελέταις* (44a—52a); 3. Xenophontis Socratis ad iudices Apologiam (53a—59a); 4. Xenophontis Agesilaum (59a—82b); 5. Xenophontis Hieronem (82b—101a); 6. Fragmentum Argumenti in Tyrannicidam Luciani (101b); 7. Libanii Prolegomena ad Demosthenem (102a—105b); 8. Demosthenis Olynthiacas III cum argum. (105b—126a); 9. orationem Philippicam I cum argumm. (126b—136b); 10. orationem de pace, cum argumento Libanii (136b—141b); 11. orationem Philippicam II. cum argum. Lib. (142a—148b); 12. orationem de Halonneso c. arg. Lib. (149a—157a); 13. orationem de rebus Chersonesi c. arg. Lib. (157b—165a); 14. Luciani Tyrannicidam c. argum. (168a—177b); 15. *Ἀποκηρυττόμενον* (178a—193b); 16. Imagines (193b—204a); 17. Patriae encomium (204b—207b); 18. Demonactis vitam (207b—218a).

Codex una eademque manu nitide exaratus est. In Scuto paginae singulae lineas XXIII amplectuntur. Librarius manu rapida sed satis clara instructus erat. Menda tamen saepissime occurrunt orthographica. Quorum in numero haec fere notanda sunt. 1. Scriptura *ἡρακλείη* pro *ἡρακληείη*, quod nusquam occurrit. 2. *ἐμοῖο* pro *ἐμεῖο* v. 361. 449. (Cf. lectionem codicis Burneiani 109, *διέκοιτο* pro *διέκειτο* v. 20.) Miras deinde discrepantias ostendit codex, quod ad nomina propria attinet. *τραχῖνα* habet v. 353, *τρηχῖνος* v. 355, *τριχῖνος* v. 469. — *ἰόλλαον* habet v. 77, *ἰόλαος* v. 323, *ἴόλαε* v. 78. Cf. praeterea ad v. 118. — Nomina deinde Centaurorum et Lapitharum (v. 179—187), ut solet, erroribus variis laborant. (Cf. collat.) — Aliis in verbis iotacismus apparet: cf. v. 3. *ἀλκμύνη* (quod iam Lennepius notavit), v. 33. *φύκιον*, v. 42. *κακότιτα*, v. 119. *ὑσμήνη*, v. 203. *χρισείη*, v. 209. *κλιζομένω*. Duobus in locis

1) Cf. Rankium in edit. p. 300: „de aetate librorum manu scriptorum significavimus, quorum nullus est, qui saeculum quartum decimum antecedat.“

positum est imperfectum prosaicum pro imperfecto epico, verbo antecedente mutilato. Sic *διδυμάον' ἐγείνατο* v. 49, *δ' ἐδαίετο* v. 165. In contrariam partem occurrit *νόημα ποτάτο* pro *νόημ' ἐποτᾶτο* v. 222. — Lectiones contra graviores librarius sine dubio optime conservavit. Itaque mihi codicem quem exscripsit bona fide expressisse neque verba poëtae proprio Marte immutasse videtur [1]), licet doctrina philologica mediocri instructus fuerit. Observatu autem dignum est post v. 155. (cf. collat.) calamum novum apparere, qui usque ad finem operis sine interruptione procedit. Manus tamen eadem manet, sed lapsus calami et menda orthographica post hunc versum saepius inveniuntur. Nonnulla prorsus omisit librarius: quorum alia in exemplari quod excripsit deerant (v. e. g. ad v. 56. 149. 183. 200. 283.), alia ipse ex incuria neglexit (v. ad v. 120. 233.). — Cf. praeterea quae dixi ad v. 298. 300. — Iota subscriptum omnino neglexit librarius, aspirationem literae ρ saepissime, diaereseos signum fere semper, his verbis exceptis: *ἐϋζώνοιο* v. 31, *κελαινεφέϊ* v. 53, *διΐ* v. 55, *ἀρήϊα* v. 108, *ὀϊστοὶ* v. 130, *ὀϊζύος* v. 351, *μεγαθάρσεϊ* v. 385, *αἰζήϊος* v. 408, *ἄϊδρις* v. 410. In contrariam partem diaereseos signum haud raro ibi posuit ubi haud necessarium esset: sic *πλήξϊπποι* v. 24, *τανϋσφύρω* v. 35, *ϊππων* v. 65, *δηϊώσειν* v. 67, *βΐη* v. 75, *ϊόλαε* v. 78, *ϊκετο* v. 83, *κϋανοῦ* v. 143, *ϊδεῖν* v. 166, *μϋξαι* v. 267, *ἥρϋον* v. 301, *ϊδεῖν* v. 318, *ἄλκϊμὸς* v. 320, *ἔμυδϊς* v. 345, *ϊδοῦσ'* v. 445. — Puncta atque alia signa similia interdum ponit superflua: *τὸν μὲν,* v. 332. *μὲν,* v. 346. 413. 441. *μὲν·* v. 424. *τὴν,* 401. *τῶ,* v. 440. *δὲ,* v. 477. *καλὰ* v. 468. [2]).

Paucissimi exstant loci qui manum correctoris posterioris ostendunt [3]). Nam omnes fere correctiones quae in collatione a me laudantur, originem ducunt a manu scribae prioris lapsus calami statim corrigentis. Alia est manus quam secundam

---

1) Sic vitia pleraque foedissima quae in codice quem habuit exstabant, suum in apographum transtulit. Cf. 270. *παρα δέ οἱ πύργος,* v. 271. *ὑπὲρ θερίοις,* v. 282. *πέζοντες,* v. 427. *ἐνδικαίως.* Quae omnia ex more dictandi orta esse videntur.

2) Lineae interdum textui supraductae sunt nomina propria quae in textu occurrant indicantes. His lineis usus est librarius v. 74, deinde in Centauromachia (v. 179 sqq.). — Eundem morem secutus est scriptor codicis Burneiani, de quo infra.

3) In universum enim dici potest codicem nostrum paucis lectoribus innotuisse.

appello. Cf. ad vv. 273. 286. 365. 422. — Est manus plane diversa. Calamo acutiore usa est. Utrum manus ea quam posteriorem vocare soleo — cf. ad vv. 165. 356. 385. 419. 432. 438. 442. — eadem sit necne, pro certo dici non potest. Sed haec res fere nullius momenti est, ut ex collatione nostra patet.

Textum solum continet codex; caret enim scholiis atque explicationibus interlinearibus. Margines mundi atque integri manserunt.

In collatione quam ad finem libelli relegavi, omnes lectiones graviores signo (†) notavi (vid. append. I). Tamen in codice conferendo ne minima quidem praetereunda esse putavi. Hoc enim modo indoles codices facillime illustratur. Nam quum codicibus Parisinis tot eximii viri tantam operam navaverint, haud absonum videtur codicem Harleianum collationi accuratiori subiicere.

II.

Codice nostro primus qui usus est, Robinsonus est, qui editioni suae quae Oxonii a. 1737 lucem vidit, codicum Britannicorum nonnullorum collationes adiecit, inter quas exstat etiam collatio nostri codicis (pp. 486, 487). Variantes lectiones quas nobis offert, quum Robinsoni editio in Germania raro reperiatur, transscripsi atque huic libello adieci. (v. append. III.) — Hunc enim codicem Hutchinsonus editor Xenophontis celeberrimus, obiter inspexit atque ex eo varias lectiones enotavit Robinsoni in usum [1]). Quae collatio interdum falsa tradit. Nam quae v. 135. 195. 265. 266. 412 in codice exstare dicuntur lectiones, a vero absunt. Septuaginta tantum lectiones notavit Hutchinsonus. Post H. nemo codicem inspexisse videtur, nam Gaisfordius qui a. 1814 Hesiodum edidit, novam collationem codicis Harleiani minime necessariam esse putans, Hutchinsoni

1) Cf. Robinsonum in praefat.: „Scuti Herculis unus, quem sciam, Codex est in Anglia; ille autem in Bibliotheca pretiosissima Nobilissimi Comitis Oxoniensis conservatur, ad quam cùm Domini liberale ingenium literatis Viris aditum facilem patefaciat, varias ex hoc Codice lectiones à se collectas mecum communicavit eruditissimus Amicus Thomas Hutchinson.“

collatione indiligenti usus est.[1]) Idem fecerunt editores reliqui usque ad Lennepium, omnium recentissimum. Rankius tamen in edit. Scuti p. 295 ad catalogum bibl. Harleianae, in quo (Vol. III. p. 290) codex nunc numeratur, provocavit. De collatione Hutchinsoni idem p. 325: „Accedimus ad alteram familiam codicum, quorum ex numero eum, qui in Anglia asservatur, H. (id est Harl.) non tam accurate descriptum habemus, quam reliquos.“ Ex quibus omnibus patet novam collationem codicis Harleiani necessariam fuisse. Quod negotium igitur subire constitui.

III.

Sed antequam ad indolem cod. Harl. accuratius explicandam accingar, de editionibus Scuti pauca praemittenda sunt. — Editio prima — non possum dicere sola, quum Rankium exscripserit Lennepius, cuius editio posthuma Amstelodami a. 1854 prodiit — quae codicum optimorum lectiones graviores in unum collectas exhibet, illa est quae a Rankio curata, Quedlinburgi et Lipsiae a. 1840 lucem vidit.[2]) Editor, doctrina vastissima instructus, non solum lectionum variarum farraginem colligere, sed etiam codicum singulorum indolem e lectionibus ab eisdem oblatis enucleare constituit. Quum enim codicum plus viginti collationes Rankio praesto essent, eos in familias dividere studuit.[3]) Audiamus eius verba p. 322: „Ac pridem quidem facile mihi sese obtulit duplex codicum familia, quarum altera libros GKOSV, altera FHIMm et Voss. comprehendit.“ Qua in re omnes qui fundamentum

1) Praeter cod. Harl. tribus tantum libris usus est Gaisfordius ad edit. suam adornandam. Hi sunt: 1) Codex Mediceus (M Rankii), 2) Codex Cantabrigiensis ex collegio Emmanuel. 3) Codex Rehdigeranus. cf. Gaisf. Poett. Minn. Grr. Vol. I. p. XII. Lips.

Codicem nostrum saepius laudavit Fr. Aug. Wolfius, ut ex eius annotationibus ad Scutum a Rankio editis patet.

2) „Hesiodi quod fertur Scutum Herculis ex recognitione et cum animadversionibus Fr. Aug. Wolfii edidit C. Ferdinandus Ranke. Accessit apparatus criticus et dissertatio editoris. Quedlinburgi et Lipsiae sumptibus Libr. Bassianae. MDCCCXL.“

3) Libri quibus usus est Rankius, in edit. p. 114 sq. recensentur. Codicem Harleianum litera H distinctionis gratia donavit.

emendationis Hesiodeae noverint, lubentissime cum Rankio facient. Neque dissentit Deitersius de Hesiodea scuti Herculis descriptione p. 33. not. 85. Nam ea quae de communi codicum origine p. 330—335 monet R., sobrie dicta esse nemo infitias ibit. Quae omnia apparatus criticus uberrimus quem editioni suae adiecit, confirmat. Itaque ante omnia videndum est utrum collatio nostra opinioni a Rankio prolatae refragetur necne.

Ex Rankii apparatu (quem cum collatione nostra cod. Harl. comparare licet) patet codd. HIM inter se arctissime coniunctos esse. Huius rei pauca tantum proferam exempla ex initio carminis deprompta: v. 11. *ἀπέκτεινεν* contra metrum HIM (cum CLSV); v. 28. *ὥς ῥα* pro *ὄφρα* HIM (cum AF m N); v. 35. *τανυσφύρῳ Ἠλεκτρυώνῃ* HIM (et praeterea EF m); v. 56. *θεῶν* omittunt HIM (exemplum luculentum); v. 61. *ἑσταῶτ' ἐνὶ* praebent IM, *ἑσταῶδ' ἐνὶ* H; v. 85. *τίον δέ γε* HM (*τ. σέ γε* I); v. 91. *ἀλιτήμηνον* contra metrum HIM. [1]) — Simile quid iam perspexit Rankius; dicit enim p. 322. „Cuius cognationis (agit enim de codicibus in familias dividendis) unum et statim ab initio ponam et luculentissimum quidem signum, hi libri (FHIM m. et Voss.) cohaerent inter se versu 299 temere ex praecedentibus (v. 283) illato". Versum enim 283 omittunt codd. HIMm. et Voss. [2]) Ad hanc familiam igitur pertinet codex Harleianus noster. Nam talis est convenientia lectionum his in codicibus exstantium ut de hac re dubitari non possit. Hac quaestione absoluta, operae pretium erit eos codices invenire qui arctissime inter se cohaereant. Jam supra monui, codd. HIM arctissime inter se coniunctos esse. Quos codices accuratius examinemus. De H supra dictum est: I contra est codex Mosquensis, quem primus Matthaei virorum doctorum in usum contulit. Est membranaceus, forma quadrata, saec. XIV aut XV. cf. Rank. in edit. p. 295. Scholiis caret. — De cod. M pauca sunt quae pro certo novimus. — Est Mediceus, cuius

---

1) Lectiones codicis Vossiani, quae apud Rankium desiderantur, hae sunt: v. 11. *ἀπέκτανεν*, ut videtur, v. 28. *ὥς ῥα*, v. 35. *τανυσφύρῳ Ἠλεκτρυώνῃ*, v. 56. *θεῶν* om., v. 61. *ἑσταῶτ' ἐνὶ*, v. 85. *τίον δέ γε*, v. 91. *ἀλιτίμηνον*.

2) F est codex Parisinus No. 2772; I est codex Mosquensis (Bibliothecae Synodalis no. 284); M est codex Mediceus, de quo postea; m est cod. Parisinus, Voss. est codex Vossianus, de quibus postea.

collatio, e Dorvillianis libris deprompta, exstat in Gaisfordii Poett. Minn. Grr. Vol. I. p. 144 Lips. Hunc codicem Muetzellius de emend. Theog. Hesiod. p. 157 eum esse censet quem Bandinius in plut. XXXI. no. 20 repositum consignavit Catal. Codd. Laurr. Tom. II, p. 91. Qui codex certe scholiis caret; itaque potius cum M convenire potest quam codd. Medicei reliqui. De cod. XXXII, 16 (M 3 apud Goettl.) cuius lectiones a lectt. codicis M longe absunt, cogitari non potest. Eandem ob causam cod. F (Paris. 2772) quippe qui scholia exhibet, [1]) a familia nostra HIM aliquantum remotus est. [2])

Quod ad collationum, quibus uti licet, fidem attinet, inprimis observatu dignum est lectiones codicum IM nonnullis in locis haud certas esse. Itaque de scriptura codicis I dubitavit interdum Rankius: cf. eum ad vv. 28. 104. 155. [3]) Similiter de lectionibus quae in cod. Mediceo (M) exstare dicerentur, iudicavit. Difficillima enim res evadit si eos locos spectas de quibus tacuit collator. Cf. quae Rankius dixit l. l. p. 299, necnon in apparatu crit. ad v. 350 (p. 260). Aliud prorsus iudicium tulit Muetzellius de emend. Theog. Hes. p. 157 sq., paulo incautius, ut videtur.

Procedimus ad codd. m et Voss. Quorum prior Parisinus, a Thierschio V. Cl. olim collatus, apud Rankium (p. 114. 296) numero caret. Octo enim codicibus Parisinis usus est Rankius ad editionem suam adornandam: quorum sex, A D E F G O, cum bibliothecae imperialis codd. 2708, 2551, 2773, 2772, 2833, 2763 conveniunt. Qui in bibl. imper. restant codices quattuor, numeris 2678, 2776, 2834, 2877 signati, apud Rankium occurrunt omnes, aut integri aut partim collati. In universum autem duobus tantummodo usus est, quos m et N appellavit. Numeros non addidit. Nostrum igitur erit huic omissioni mederi.

1) cf. catal. codd. Pariss. Tom. II, p. 551. Rankium l. l. p. 294.

2) Rank. p. 326: „Inter F et H quae ratio sit, docet vs. 200, ubi H exhibet *ἐπιδ' ἔρχετο* et clausulam versus reticet; in F vero legitur „*λείπει κἀνταῦθα*“ cfr. p. 203“.

3) In edit. sua p. 299 de collationibus quas accepimus hoc iudicium in universum profert:. „Horum libros alios accurate collatos accepimus, ita ut paene nihil nos fugiat, quod et diversae scripturae et mendorum inest, ut ABCFGIKMmV, alios vero licet non eadem diligentia enotatos, tamen ita excussos habemus, ut certam possimus de singulis sententiam ferre, ut DEHLPST“.

Quod sine difficultate fieri potest. Nam lectionum variarum farraginem a Lennepio collectam perlustranti facile perspicuum est codicem 2834 ab eodem H vocatum eum esse quem Rankius m appellat. V. Lennep, ad vv. 176. 179. 182. 208. 219. ut exemplis utar e medio carmine depromptis. [1]) Codex Par. 2834 scholiis caret (v. catal. codd. Pariss. l. l. p. 559). — Codex autem N Rankii cum cod. Par. 2877, quem Lennepius I appellat, convenire videtur. V. ad. v. 54. Qui liber textum tantum sine scholiis aut glossis exhibet. [2]) Ceterum codd. Parisinorum tabulam virorum doctorum in usum huic libello adieci. (V. append. IV.)

Restat codex Vossianus. Hic liber, qui apud Rankium septies tantum laudatur, ab eodem familiae codicum alteri adiunctus est. Nec immerito; facile enim agnoscuntur originis communis signa. Lectiones varias ex hoc codice depromptas dedit Ruhnkenins in epist. critica priore (p. 155—157), unde eas hausit Rankius. Sunt septem numero, ut iam supra notavi. *τίρυνθα* exhibet codex v. 81, vv. 183, 2?3 omittit, *συναΐγδην* exhibet v. 189, *ἔπιτνον* v. 291, *ἐπικροτόωντα ποτῶντο* v. 308 [3]), *ἀπονίσσεται* v. 409.

Nuper collatio nova codicis Vossiani, Lennepii editioni inserta, publici iuris facta est Videtur Lennepius bibliothecam acad. Leidensis adiisse. Ex collatione quam nobis praebet apparet cod. Vossianum multis in locis cum Harl. convenire, in universum autem non ita ut eum cod. Harl. apographi instar esse putare possimus. Cf. e. g. ad vv. 11. 19. 26. 28. 32. 35. 115. — Rem conficit v. 200 in utroque mutilus, unde sequitur cod. Voss. ab eodem fonte e quo derivatus est Harleianus, originem ducere. [4]) — Ceterum huic familiae adiungendus est codex Burneianus (Burn.), de quo postea. (VI.)

---

1) Collatio quam habuit Lennepius minus accurata erat quam ea qua Rankius usus est. Tamen nunquam suspicatus est Lenn. codicem suum Par. H a cod. m Rankii haud diversum esse. Nam multis in locis in quibus de scriptura codicis H tacet, lectiones cod. 2834 (m) tanquam diversi libri e Rankii apparatu haustas citat (v. ad vv. 175, 190, 191).

2) cf. catal. codd. Pariss. l. l. p. 564. — Huius codicis sex septemve versus Koësius describendos curavit, cf. Rank. p. 115.

3) Hanc lectionem neglexit Rank. in app. crit. p. 250.

4) Codices Vossiani, quorum ex numero duobus in Opp. et Diebus usus est Graevius ad edit. suam (Amstelod. a. 1701) adornandam, haud magni sunt pretii. Sunt enim recentissimi. V. ad Opp. v. 169, quem versum ab interpolatoris manu ortum Graevius primus recepit e cod. Vossiano altero.

Quae his in paginis de codicibis singulis familiae alterius monui, viris doctis satis facere posse puto. Quod ad totam familiam attinet, id tantum monere volo, eam ad codicem — fortasse archetypum — qui textum solum sine scholiis et glossis exhibuerit, redire. Cuius rei sponsorem habeo nullum nisi codicum indolem ipsam. Miror igitur quod Rankius, qui de omnibus his rebus docte sobrieque disseruit, hanc quaestionem neque in diss. de cognatione codd. MSS. (p. 321 sqq.) nec in diss. de scholiorum origine (p. 300 sqq.) tetigit.[1])

De codd. familiae alterius hactenus. Sed restant libri nonnulli, quos Rankius (p. 326 sq.) ab utraque familia seiungendas esse censuit. De his pauca dicenda sunt. Sunt: A (Parisin. no. 2708), saec. XIV., B (Monac. no. 283), saec, XV., et T (Venetus no. 464), saec. XIV ineunt. Quorum in numero A haud raro lectiones exhibet valde observabiles. Huc pertinent ἴξε (quod hodie ab omnibus receptum est) v. 32, σφετέροις τεκέεσσι v. 247. Praestantia codicis praeterea ex eo cognoscitur quod in eis locis ad quos emendandos codd. familiae alterius subsidia haud spernenda praebeant, interdum cum his codd. conspirat. Cf. ad vv. 28. 54. 151. 153. 239. Simile iudicium tulit Deitersius de Hesiodea Scuti Herculis descriptione p. 42 (adnot. 100), qui cod. A cum cod. Veneto 1, cuius notitiam Goettlingio (in edit. alt.) debemus, coniunxit, citatis versibus 160. 375. 406.[2]) — De familia autem cui codex A adnumerandus sit, adhuc dubitavit Rankius; codicem B contra ex pluribus exemplaribus descriptum esse suspicatus est. Sed cum codices ambo scholia habeant, eos familiae alteri adnumerare periculosum videtur. Audiamus Rankium ipsum p. 327 de origine codd. AB verba facientem: „Nec tamen . . . . . (putes) A priori, B posteriori codicum familiae adnumerandum esse, quippe qui nonnulla cum utraque familia communia habent, in aliis vero plurimum ab utraque dissident. Videntur igitur, ut iam antea de cod. B affirmavi, ex pluribus exemplis descriptos esse.“ Ex quibus apparet virum clarissimum rem in incerto

1) Cf. Rank. p. 302.

2) Eius verba sunt: „Sunt enim in codicibus nostris duo, qui cum inter se fere ubique conspirent a ceteris diversi sunt, Parisinus I. et Venetus I. . . . . Eisdem autem codicibus videmus pluribus locis veram lectionem solis inesse quae in ceteris omnibus sit corrupta.“

reliquisse. Sed mihi discrepantiarum de quibus dixit Rankius, origo facillime indagari posse videtur si modo statuatur codicem A e libro qui ab archetypo haud longe remotus fuerit, fluxisse. Nam cum verisimile sit familiae prioris codices aut omnes aut plures diversis ex libris originem ducere, nil huic coniecturae obstare videtur. — Lectiones codicis B Rankii observationem confirmare videntur. Tamen de hac re aliquid certius praedicari posse puto. In parte carminis priore cod. B e libro qui cum cod. D multa communia habuerit, descriptus esse videtur, cf. Rank. ad vv. 12. 14. 32. 44. 92. Correctiones autem quibus cod. B scatet, manum διορθωτοῦ produnt. Hausit ille sine dubio e libro plane diverso ab illo e quo codex olim descriptus erat.

Codicis Tricliniani (T ap. Rank.. V 2 ap. Goettl.) collationem a Goettlingio factam accepimus. Sed cum collatio Goettlingiana minus accurata sit, de cod. Tric. iudicium proferre adhuc nolo. Ex hoc codice codices Florentinos nonnullos descriptos esse alio in loco demonstravi. Ceterum pro certo habeo Triclinio soli nonnullos deberi lectiones quas editores perperam librorum MSS. auctoritate firmatas esse censent (cf. infra ad vv. 114. 149. 212. 454. Rank. ad v. 116. 256. Lenn. ad v. 94).

IV.

De auctoritate codicis Harleiani.

Accedimus ad aliam quaestionem difficiliorem quae est de auctoritate et praestantia lectionum earum quas codex Harleianus aut solus, aut una cum codd. reliquis eiusdem familiae exhibet. Nam si a farragine errorum aut vitiorum eorum quae lapsuum calami nomine comprehenduntur, eas lectiones seiungas quae aliquid ad textum emendandum offerre possint, lectiones interdum invenies quae caute ac severe perpendendae sint. [1]) Haud raro enim familiae nostrae duae diversas in partes abeunt, ita ut critici sobrii iudicium requiratur.

---

1) Lectionibus quas graviores vocare soleo, signa apposui virorum doctorum in usum. Nam ita lectiones graviores a vitiis quibus codex Harleianus una cum reliquis propter scribae negligentiam scatet, facile discernuntur. Quarum pleraeque iam apud Robinsonum exstant, ex cuius editione in recentiorum editiones migravere.

De familia codicum duplici, quam statuere Rankio placuit, supra dictum est. Neque neglecti sunt codd. ABT, quorum indolem accuratius quam ante factum erat, illustrasse mihi videor. Impeditior est alia quaestio, quomodo illa lectionum varietate quae ex duplici codicum familia nasci solet, utendum sit. Ex Rankii enim observationibus haud apparet utrum in Scuto emendando uni soli familiae omnino credendum an ex utraque familia quicquid boni inesset, trahendum atque suo loco reponendum sit. In poetae verbis emendandis certe ex utraque familia lectiones quas praeferret haurire atque interdum reponere constituit auctor; neque etiam codices singulos, si aliquid boni praeberent, neglexit. Fortasse in hanc devenit sententiam, fieri non posse ut unam tantum familiam in universum sequamur. Eandem sententiam, opinor, amplexus est Goettlingius.[1] Quae quaestio tamen nobis accuratius tractanda erit. Sed cum collatio plenissima nobis praesto sit optabilius videtur e lectionibus a cod. Harl. aut solo aut una cum codd. reliquis eiusdem familiae oblatis quid sit verum deducere.[2] Quo facto tutius de familiarum singularum praestantia disserere poterimus.[3]

---

1) In praefat. ad edit. alt. p. LXXII.

2) Editores et antiquiores et recentiores licet codicis Harleiani lectiones nonnunquam laude affecerint, tamen ad aestimationem accuratiorem eius pretii haud pervenisse videntur. Quae reprehensio etiam de reliquis codicibus valet. Eadem ex causa diu laboravit Theogoniae Hesiodeae emendatio. Cf. Muetzell de emend. Theog. p. 157: „Videlicet carmen totum vix ad quinque sive sex codices recentissima memoria scriptos, ab diversis hominibus inaequali consilio ac studio exactum est.“ Unde factum est ut editorum plurimorum apparatus critici magis lectionum variarum farragini quam annotationibus bene digestis similes essent. Rem paullo melius instituit Rankius, qui p. 325 sq. de familia codd. FHIM in haec verba facit: „Id quoque facile apparet, duo inprimis libros I m in tot erroribus concordes esse, ut paene nihil in altero legatur, quod non simul exstet in altero. Reliquorum ut qualis nexus sit perspiciatur, de singulis quibusdam exemplis agendum videtur. In primo carminis versu memorabilis est scriptura F *οἵη* (*δὲ*) et IM *τοίη*; de H nihil commemoratur: m consentit, opinor, cum I; talis discrepantia quomodo nasci potuerit, vix intelligitur; illud apparet, magis corruptos esse IM, quam F, et F, quam H, si ex silentio recte colligitur, hunc librum vulgatam scripturam praebere.“ Quam opinionem collatio nostra, unde, cognoscitur vitia codicis Harl. saepius ad accentus aut spiritus falso appositos pertinere, eius lectiones graviores contra inter codd. familiae alterius communes esse, confirmat.

3) V. infra.

Totam quae nunc sequitur disputationem tres in partes dividere constitui. Primum eos locos tractabo in quibus textus Goettlingianus ex lectionibus cum a cod. Harl. tum ab aliis oblatis emendandus erit. Quibus eas lectt. adieci quae ad textum emendandum viam monstrant. — Sequitur enumeratio earum lectionum e cod. H depromptarum quae licet a Goettlingio una cum editoribus reliquis receptae, tamen aliquanto accuratius examinandae sunt, ut earum bonitas ab omnibus perspiciatur. — Accedit praeterea disputatio de iis lect. codicis Harl. quae reiiciendae sunt. — Quibus omnibus addere constitui epimetrum de glossis quibus codex laborat.

1.

v. 28. ὥς ῥα pro vulgata ὄφρα exhibent codd. A (ὄφρα in marg.) FHIM m N Voss. Burn. et Florr. tres apud Lenn. Quae lectio, me iudice, praeferenda est. Sic enim postulat usus dicendi epicorum, secundum quem post φράσσασθαι, μητιάασθαι, βουλεύειν et quae sunt similia semper invenitur vel accusativus (Od. ζ 14, ψ 217, Hes. Opp. 367.) vel ὥς (sive ὅπως, sive εἰ) cum verbo finito (Od. ι 420, κ 192 sq., λ 229, ν 376, υ 29, 39). — Igitur vertendum est „consilium inibat quomodo gignere posset“: ὄφρα contra, quod ex glossa ortum esse videtur, est „ut (gigneret)“.

v. 54. Locus vexatus. δοριςσόῳ vel δορυσσόῳ pro λαοσσόῳ praebent ABDFHIM m N Burn. Voss. et plures Lennepii. (γε, quod post δορ. ponunt codd. nonnulli, est interpolatoris alicuius additamentum foedissimum.) Equidem cum Rankio facio, qui λαοσσόῳ quippe quod usitatius est ex glossa ortum esse pronuntiat.[1]) Sed omnia quae editores ad hanc aut illam lect. firmandam attulere hoc loco repetere taedet. Ea tantum monere volo quae de meo addere possim. Inprimis observare licet seriem versuum dactylis scatentium a versu 54, αὐτὰρ Ἰφικλῇ λαοσσόῳ etc. spondeis referto incommode interrumpi.

---

1) Tamen alio in loco (p. 334) hanc lectionis diversitatem Alexandrinorum tempori aut vindicat aut vindicare videtur Rankius. De hac coniectura quam obiter proposuit fere nulla argumentatione addita quid iudicandum sit, prorsus incertum est. Potest duplex lectio ad Alexandrinos referri: tamen eodem iure originem ducere dici potest a manu critici posterioris aetatis. Unde fortasse in archetypum irrepsit.

Quae interruptio quam vim habeat, perspicitur ex v. 317, de quo infra. Accedit quod lex illa quam supra p. 13 (cf. ad. v. 28.) tetigi, etiam hic nos adiuvat. Nam scripturam quam praebet cod. A una cum codd. familiae alterius, fere semper bonam invenies.

v. 85. Etiam hic variant MSS. *τίον δέ γε κ.* exhibent codd. plures familiae alt., sc. HM m Voss. Burn. — Porro *τίον σέ γε* habet I (si recte hanc lectionem tradidit Matthaeus). Contra *τίον δ'ἄρα*, duobus exceptis, reliqui, ut videtur, quum de codd. singulis nil constet. Apud Rank. *τίον δ'ἄρα* solus C habet. Rem in medio relinquere cogor. Lectio *δέ γε* ad locum emendandum viam monstrat. Nam ex ea Rankio effici videtur praestabilior lectio *δέ ἕ*. Quae emendatio, me iudice, recipienda est. Tamen dolendum est quod Rankius emendationem praeclaram tam breviter proposuit. Particula *ἄρα* expulsa et tautologiam foedam (quum in v. praeced. etiam *ῥά* legatur) evitamus et constructionem meliorem obtinemus. Sine dubio *ἄρα*, quod supplementum in propatulo erat, saepius in textum irrepsit lectione vera expulsa. Neque ignotum est pronomina *ἕ, σέ* personalia cum *δέ* saepius coniungi. Hanc formulam maxime in exitu versus amant poëtae epici. Ex Operibus haec fere exempla praesto sunt: v. 268. 482. 491. 515. 709. (Theog. v. 282. Hom. *α* 321.)

v. 97, 98.

Pro *ἔχειν* habent *ἔχων* Harl. Voss. Burn. — Porro pro vulgata *ὑποδδείσας* (v. 98) *ὑποδδεῖε* Harl. *ὑποδδεὶς* I m Burn. *ὑποδδείσῃς* Voss. Unde colligi potest, v. 97 olim duplicem scripturam exstitisse, quarum altera verbum finitum habebat, altera participium. Sed mihi totius sententiae nexum consideranti praestabilius videtur h. l. duphlicem recensionem statuere. Quarum altera (v. 97) ab interpolatoris manu profecta est. — Versus enim 96. 97. multis vitiis laborare iam viderunt Fr. Thierschius et God. Hermannus. Ante omnia molesta est repetitio verborum (*ἵππων ὠκυπόδων* v. 96 = *ὠκυπόδων . . . . . ἵππων* v. 97, *θᾶσσον ἔχ' ἡνία* v. 95 = *ἰθὺς ἔχειν θοὸν ἅρμα* v. 97). Neque praetereunda sunt quae God. Hermannus ad h. l. annotavit. Dicit ille (Opuscc. VI, 1 p. 194): „Wie kann Herkules befehlen, die Zügel zu ergreifen, und gerade auf den Cycnus zuzulenken, da ihn Iolaus doch nicht fahren konnte, indem er noch nicht einmal die Waffen

angelegt hatte?“ Quibus omnibus permoti viri eximii alius aliam viam ad locum sanandum ingressi sunt. Thierschius vv. 95. 96 abiiciendos esse putavit, vv. 96—101 Hermannus. Quorum neutrum sequi possum. Nam duo quos Thierschius reiecit versus certo multo ornatiores sunt illo miserrimo qui nunc post verba θάρσος ἀέξων legitur. Neque Herculis orationem verba ἔχ' ἡνία φοινικόεντα concludere possunt. Nam laborum Herculi et Iphicli a Jove impositorum descriptione longa finita, versibus aliquot opus est ut ad rem praesentem redire posset Hercules. Quibus ex omnibus patet omnem offensionem tolli si modo v. 97 abiiciatur. Neminem, opinor, offendent quae Hercules vv. 95. 96 dicit: hac enim oratione usus se atque Iphiclem ad proelium praeparare studet. Contra molestissima est coniunctio versuum 96. 97, de qua maxime id mihi valere videtur quod Hermannus de totius sententiae nexu dicit. Versu igitur 97. expulso et tautologiam evitamus et Hermanni dubitationibus satis facimus. Quo facto clarissime perspicitur quid sibi velit lectio ὑποδδεῖε. Orta est ex ὑποδδείς quod tres codd. praebent: ὑποδδείς contra ex ὑποδδείσῃς mutilato, quod Voss. solus exhibet, recte. Neque aliter postulat vs. 96, cuius clausula participium est. Restituendum videtur ὑποδδείσῃς. Similiter Homerus β 66: θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν.

v. 116. Pro εἶπεν, quod edd. recc. habent, restituendum est εἶπε ex codd. CGSV Harl. Flor. F. Burn. Dissertationen de ν paragogici usu infra invenies.

v. 127. Aoristum ἐφορμήσασθαι omnes, exceptis BHIM m Voss. Burn. et Flor. F. ap. Lenn., qui futurum (ἐφορμήσεσθαι) praebent. Sed cum nostro in loco sermo sit de laboribus qui conficiendi essent, futurum praestabilius videtur. Itaque Hesiodus imperfectum ἔμελλε vel ἤμελλε cum praesenti aut futuro coniungere solet, cf. Theog. v. 469. 491. 552. 889. 898. Locus qui refragatur solus Theog. v. 478, mihi ita reficiendus esse videtur: ὁππότ' ἄρ' ὁπλότατον παίδων τέξεσθαι ἔμελλε.[1] Neque de futuro restituendo dubitavit Dindorfius in commentatione doctissima illa de verbo μέλλω quae Stephani Thesauro (Vol. V. p. 755 sq.) inserta est. Provocavit ille ad Lobeck. ad Phrynich. p. 745 sqq. qui grammatici sententiam,

1) Similis versus exitus apud Homerum exstat: . . . . ἃ ῥ' οὐ τι λέεσθαι ἔμελλον. B 36.

non posse imperfectum ἔμελλον cum infinitivo aoristi coniungi [1]), impugnare studuit. Evolvas, quaeso, eos quos Lobeck. suam in sententiam citavit locos [2]), et tres tantum invenies in quibus imperfectum ἔμελλον cum aoristi infinitivo coniunctum sit. Hi loci sunt: 1) Thuc. VI, 31. ὡς ἤδη ἔμελλον μετὰ κινδύνων ἀλλήλους ἀπολιπεῖν. 2) Xen. Mem. II, 7, 10. Εἰ μὲν τοίνυν αἰσχρόν τι ἔμελλον ἐργάσασθαι. 3) Plato Alc. I. p. 132 D. εἰς ὃ βλέπων ὁ ὀφθαλμὸς ἔμελλον αὑτὸν ἰδεῖν; [3]) — in ceteris autem omnibus (loco Thucydideo III, 92 excepto, in quo aoristum primum — sc. μελλήσαντες — legitur) neque ἔμελλον nec ἐμέλλησα, sed ubique aut praesens aut futurum invenitur. Neque Dindorfium latuit apud Homerum futurum fere semper inveniri [4]). Ex quibus colligere licet futurum multo usitatius fuisse. Itaque nostro loco restituendum est ἐφορμήσεσθαι.

v. 149. εἵλετο codd. maior pars (εἴλετο B, εἶλε FIM). — αἴνυτο, quod Goettlingius praetulit, in his tantum codd. exstat: TL (in marg.) et Flor. AD apud Lenn. Tamen lectio εἵλετο minime pro glossa habenda est, ut voluit Goettlingius. Nam poëta noster amentiam illam Iphicli a Jove immissam hoc modo describit: τοῦ μὲν φρένας ἐξέλετο Ζεύς (v. 89). Neque negligendus est Homerus, qui hac formula saepius usus est, ut bene ostendit Rankius. Verum enimvero operae pretium est lectionis αἴνυτο originem indagare. Videtur esse emendatio Deme-

---

1) Phryn. p. 336 Lob. Ἔμελλον ποιῆσαι, ἔμελλον θεῖναι, ἁμαρτήματα τῶν ἐσχάτων, εἴτις οὕτω συντάττει. τετήρηται γὰρ ἢ τῷ ἐνεστῶτι συνταττόμενον ἢ τῷ μέλλοντι. οἷον ἔμελλον ποιεῖν, ἔμελλον ποιήσειν .... Ἔμελλον γράψαι: ἐσχάτως βάρβαρος ἡ σύνταξις αὕτη, etc.

2) Citavit Lobeck, quattuor ex Thucydide, novem ex Platone, tres ex Aristophane, unum ex Lysia, unum e Xenophonte, unum ex Aristotele.

3) Id praeterea obiter notandum est, pro ψέξαι (Plat. Min. p. 318 E) et χρῆσθαι (Alc. II. p. 141 C), quae exemplorum enumerationi inseruit Lobeckius, editores recc. ex codd. ψέξειν et χρήσεσθαι reposuisse.

4) „Hom. Il. Π, 47. Ἔμελλεν .... λιτέσθαι, praesentis, non aoristi putabant etiam qui scribebant λίτεσθαι; nec Ψ, 773: Ἔμελλον ἐπαΐξασθαι, desunt libri qui fut. ἐπαΐξεσθαι suppeditent, ut inter tot locos Homericos qui ἔμελλον cum fut. aut praes. coniunctum habent, unum sit aoristi exemplum Il. Σ 98: Ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι." — Hanc legem secutus eos scriptorum locos tractare pergit auctor in quibus alii codd. aoristum, alii futurum vel praesens praebent. In loco Thucydideo ἀπολείπειν, in loco Xenophonteo ἐργάσεσθαι codicibus faventibus nonnullis restitui iubet. Neque neglectus est noster locus.

trii Triclinii, hominis sane docti, ab eodem codici T inserta: unde in codd. Florentinos A D irrepsit. De his codicibus v. infra ad v. 114. Postremo quod ad cod. L attinet, patet codicis recentissimi notae marginalis auctoritatem fere nullam esse.

v. 151. *δύμεναι* praebent una cum Harl. FIM m Voss. Flor. F, et fortasse A a m. pr. — *δύμενος* Venetus 1. — *δύνουσ'* vel *δύνουσιν*, duobus exceptis, reliqui. — Verba inde a *τῶν* usque ad *αὐτῶν* mihi vitiis plerisque laborare videntur. Primum offensioni est forma insolita *δύνουσι* (quam lect. retinuere edd. omnes) apud Homeri imitatorem reperta: nam verisimile est locum Homericum praeclarum (Z 411 [*ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη σεῦ ἀφαμαρτούσῃ*] *χθόνα δύμεναι*) ante oculos habuisse poëtam (cf. *μάχην δύμεναι* Z 185. *πόλεμον δ.* Ξ 63. *πολέμου στόμα δ.* T 313). Deinde non clare perspicitur quid sibi velit *αὐτῶν* post *τῶν*, unde evenit tautologia molestissima. Quibus ex omnibus colligere licet olim infinitivum *δύμεναι* in archetypo exstitisse, *αὐτῶν* autem corruptelam esse quae verbum finitum extruserit. Quod Rankius affert argumentum, *χθόνα δύμεναι* et *Ἄϊδος εἴσω* nusquam iunctim apud Homerum reperiri, nil ad rem facit, quum ex omnibus pateat imitatorem in verba quae ex Homero deprompserit liberius grassatum esse. Itaque *χθόνα δύμεναι* cum *Ἄϊδος εἴσω* coniungere potuit: formam autem inauditam *δύνουσι* fingere haud licuit.

Quid in *αὐτῶν* lateat, incertum est. Multa coniicere licet: sed verisimile est olim exstitisse verbum festinandi significatione instructum.

v. 153. *μελαίνῃ* habent AEFHIM m N Flor. A ap. Lenn. (nisi E *μελένῃ*). *κελαίνῃ*, paucis exceptis, reliqui. — *κελαινός* et *μέλας*, voces quod ad sensum attinet, coniunctissimae, primo adspectu et nostro in carmine et alibi promiscue adhiberi videntur. Cf. *κελαινὸν αἷμ'* v. 173, contra *αἷμα μέλαν* v. 252. Quamobrem de vera lectione invenienda prorsus desperandum esset nisi usus dicendi nos aliquantum adiuvaret. — Nam adiectivum *μέλας* saepius cum rebus aut terrestribus aut e terra ortis coniunctum videmus, *κελαινός* contra potius de rebus vitalibus dicitur. Cuius consuetudinis exempla apud Hesiodum nostrum circumspiciamus. Habes *μέλας σίδηρος* Opp. 151, *νηῒ μελαίνῃ* ib. 636, *μέλανας βότρυας* Scut. 294 (cf. *μελάνθησαν* de uvis dictum v. 300). Contra *κελαινόν* de sanguine Scut. 173, de corde 429. Similiter Aeschylus de

iecinore Prom. 1046 (1025 Well.) *κελαινόβρωτον ἧπαρ.* [1]) — Quamquam non dubito quin haec lex vera sit, tamen alia exstant exempla quae ei obstare videntur. Cf. *σκάφος κελαινόν* Eur. Tro. 539, *κελαιναὶ νᾶες* Soph. Ant. 954, *κελαινὸν ξίφος* Eur. Bacch. 628, et praesertim *κελαινὴ χθών* Hom. *Π*, 384 (ubi tamen *κελαινῇ* Spitzn.), *κελαινὴ κόνις* Eur. El. 478. — Itaque res in incerto maneret nisi observatio plane diversa nobis subveniret. Ex adiectivis enim cum *μέλ.* et *κελ.* compositis facillime cognoscitur quomodo *μέλας* et *κελαινός* inter se differant. Quorum adiectivorum cum *μέλας* compositorum haec pauca laudentur exempla: Habes *μελάμβωλος* (*ἄρουρα*), terra nigris glebis, ideoque fertilis (Oppian. Cyneg. III. 508); *μελάμφυλλος* de montis cacumine dictum (Pind. Pyth. I. 27 [51]), de terra (Soph. Oed. Col. v. 482); *μελαμπέταλος* de ramo dictum (Meleager in Anthol. Palat. Vol. I. p. 1); *μελάμπετρος*, qui rupes nigras aut potius opacas habet (Philet. ap. Schol. Theocr. VII, 6). [2]) — Unde colligi potest verbum *μέλας* potius adiectivo **subniger** quam **niger** respondere. Nam *κελαινός* est **niger**, **ater**, quam significationem haec fere composita ostendunt: *κελαινόβρωτος* de iecinore dictum (Aesch. l. l.); *κελαινόρρινος*, „qui nigram cutem habet" (Oppian.); *κελαινοφαής* de caligine dictum (*νυκτὸς κελαινοφαὴς ὄρφνη*, Aristoph. Ran. 1359), *κελαινῶπις* de nube (Pind. Pyth. I, 7 [11]).

His exemplis fretus haud dubito quin *μελαίνῃ — αἴῃ* restituendum sit.

v. 170. Locus vexatissimus. *τώγε* praebent familiae prioris codd. CGNSV aliique ap. Lenn., *τοίγε* B (ex corr.) DQ [3]), *τίγε* Neap. 2, *τῶνγε* reliqui. Equidem praefero *τῶνγε*, quod et a codd. maiore parte firmatur et narrationis tenori optime accomodatum est. Deinde repetitio vocis *τῶν* nihil habet quod nos offendat, quum hanc aprorum et leonum pugnae descriptionem satis ieiunam et frigidam esse iam pronuntiaverit **Deitersius** de Hes. scuti Herculis descr. p. 16, quocum lubentissime facio.

---

1) *μέλαινα γαῖα* occurrit ter apud Homerum, B 699. O 715. P 416. quos locos citavit Rank. Quorum auctoritatem secutus fortasse *μελαίνῃ* reponendum censeret aliquis. Tamen propter insignem lectionis varietatem disputatio plenior h. l. desiderabilis videtur.

2) Contra *κελαινόβωλος*, *κελαινόφυλλος* et quae sunt similia nusquam invenies.

3) De lectione codicis praestantioris A ambigitur. Apud Rank. *τοίγε*, apud Lenn. contra *ταίγε* in eo exstare dicitur.

Locus quem Heinrichius laudavit (infra v. 176: τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐγειρέσθην — ἀμφότεροι) nihil ad rem facit. — Suspicabar olim scribendum esse τοίγε [1]), sed cum id a tribus tantum codd. praebeatur, melius visum est ad τῶνγε reverti [2]).

v. 199. De Minerva:

ἐν δὲ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη Τριτογένεια,
τῇ ἰκέλη ὡσεί τε μάχην ἐθέλουσα κορύσσειν,
ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶ χρυσείην τε τρυφάλειαν,
αἰγίδα δ' ἀμφ' ὤμοις· ἐπὶ δ' ᾤχετο φύλοπιν αἰνήν.

Locus difficilis. De librorum scriptura haec pauca dicere sufficit, quum nullus codex lectionem praebeat quae omni offensione careat. χειρὶ offerunt praeter Harl. nostrum plerique. Contra χερσὶ (vel χερσὶν) in aliis exstat. Porro inter χρυσέην et χρυσείην variant codd. Quae editores ad h. l. monuere, licet nonnulla sobrie et docte dicta sint, tamen neque veritatem attigere neque ad emendationem loci profuere. χρυσείην nullo modo ferri posse, recte viderunt omnes: χρυσέην autem si restituimus, metrum claudicat foedissime. [3]) Sed lectio vulgata non solum metro sed etiam totius antiquitatis voci obstat. Nam quod de Minerva praedicatur (ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶ [χειρὶ] χρυσ. τε τρυφάλειαν [4]) non est deae bellum cientis, sed paciferae aut potius pace faustissima fruentis, ut artis opera anaglypha praeclare ostendunt. Conferas quaeso puteal sigillatum illud quod Corinthium appellatur, in quo repraesentatur Minerva una cum Hercule in Olympum introiens. [5]) Galeam dextra, hastam laeva tenet Minerva. [6]) Contra deae armatae atque in pugnam ruentis (ἐπὶ δ' ᾤχετο φύλοπιν αἰνήν) ornatus est hicce: capiti galea superimposita, dextrae (sive laevae) hasta inserta est. Cuius ornatus exemplum pulcherrimum se

---

1) Quod praetulit Goettlingius.

2) Potes conferre v. 235, ubi τώγε legitur. Quod tamen nullius momenti est, quum totus locus a poëta plane diverso scriptus esse videatur.

3) Hermanni emendationem χερσὶν ἰδὲ χρ. τρ. ferri non posse ex sequentibus apparebit.

4) Nam verba χρ. τε τρ. cum χερσὶ arctissime coniuncta sunt.

5) Mueller. Denkmaeler der a. Kunst, Vol. I. Tab. 11. No. 42. Gerhard. Antike Bildw. I. Tab. 14—16.

6) Neque aliter puteal quod Capitolinum vocatur: Mus. Capit. Vol. IV. Tab. 22. [Vol. II. Tab. 3. ed. 1806]. Exempla plurima ex vasculorum imaginibus deprompta dabunt Lenormant et De Witte Elite Céramogr I. tab. 76. 76a. 80. 81. 82. 86.

se nobis offert in vasculo ab Amasi picto.[1]) — Itaque ante omnia restituendum est χειρί ex Harl. et aliis; χρυσείην, quod ex vv. 183. 188. 192 huc translatum est, tollendum; pro eo restituendum est verbum ad caput deae spectans. Mihi valde arridet Goettlingii emendatio ἔγχος ἑ. ἐν χ. καρήατί τε τρυφάλειαν. Quam coniecturam firmare videtur locus Homericus pulcherrimus ille ubi descriptio armaturae Achilleae invenitur (Il. T 380): περὶ δὲ τρυφάλειαν ἀείρας κρατὶ θέτο βριαρήν.

vv. 211—213.

v. 211. Legendum est ἀναφυσιόωντες cum codd. familiae prioris; ἀμφυσιόωντες codd. familiae alterius plerique (ἀμφυσιοῶντες M, ἀναφυσιόεντες Par. B ap. Lenn.) — Formam pleniorem (Apoll. Rhod. II. 431) recipere editores haud dubitavere, atque ita etiam analogia suadet.

De re pusilla hactenus. Ceterum versus 209—212 multis vitiis laborare ostenderunt Lehrsius[2]) et Deitersius l. l. p. 23. Offensioni enim sunt repetitiones molestissimae (κλυζομένῳ ἴκελος = νηχομένοις ἴκελοι, δελφῖνες v. 210—212, ἐθύνεον ἰχθυάοντες = ἐφοίτων ἔλλοπας ἰχθῦς.) Auget dubitationem ἀναφυσιόωντες, quod alibi semel tantum invenitur (Apoll. Rhod. l. l.) ubi vim transitivam habet. Nostro autem loco verbo quod regere possit, caret. Nam praepostera est God. Hermanni[3]) explicatio: „ἔλλοπας ἰχθῦς ist von ἀναφυσιόωντες, was „aufscheuchend“ bedeutet, abhängig.“ Neque ferri potest ἐφοίτων. Nam φοιτάω nullo modo cum accusativo solo coniungi potest. Tamen in ἐφοίτων consentiunt libri fere omnes.[4]) ἐθοίνων, quod editt. recentiores praetulerunt (quodque vertendum est „epulis excipiebant“, non „vescebantur“), est emendatio cuiusdam infelicissima quam Triclinius adoptavit, ex cuius libro in codd. Florr. A D irrepsit.[5]) Quibus omnibus commotus Lehrsius sagaciter divinavit hic olim duos tantum

1) Gerhard. Archaeol. Zeitung IV. (1846) tab. XXXIX. 4. — Addi potest eiusdem Auserles. Griech. Vasenb. tab. 18.

2) In censura editionis Rankianae, Iahni Annal. Tom. XXX. p. 273. Populäre Aufsätze aus dem Alterthum p. 248.

3) Opuscc. Vol. VI, 1. p. 198.

4) ἐφοίβων habent EN. — ἐφοίτων sine dubio profectum est a manu illius qui totum versum confecit. Quod tamen restituendum est si totus versuum complexus inde a v. 209. usque ad v. 212. retineatur.

5) Idem legit Diaconus. Eius verba sunt (Gaisf. Poett. Minn. Grr. Vol. III. 516 [II. 631. Lips.]): ἐθοίνων. ἔτρωγον, θοινάω θοινῶ τὸ εὐωχοῦμαι, καὶ ὁ παρατατικὸς ἐθοίναον, ἐθοίνων, τὸ τρίτον τῶν πληθυντικῶν ἐθοίνων.

versus exstitisse. Rem conficit Deitersius qui l. l. horum versuum genuinam formam hanc fere fuisse existimat:

κλυζομένῳ ἴκελος· πολλοί γε μὲν ἂμ μέσον αὐτοῦ
ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἰχθυάοντες.

v. 213. In descriptione imaginis pulcherrimae *τρέον* occurrit de piscibus dictum; quam lectionem exhibent codd. omnes exceptis illis qui ad familiam alteram pertinent. Hi enim *θέον* — „currebant" — praebent. Quod verbum, alibi aptissimum. hoc loco multo languidius esse quis non sentit? [1]) Cf. v. 317: *ἰχθύες ἐκλονέοντο.* [2])

